

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

enim judico frugiferum fore Ecclesiæ. Vale in Christo JESU. Basil. 25 Junii, Anno 1556.

T. Sulcerus.

XXXVIII.

S. D. Reverende vir & carissime Frater.

NON dubito, te quoque crebris gemitibus optare, ut aliquot pii & eruditi de Ecclesiæ vulneribus colloqui possint. Id ut fiat, diu jam Principes quidam moliantur. Quorum etsi consilia impedientur, convenire tamen aliquos privatim necesse erit. Qua de re velim, te mihi & tuum consilium scribere. Nunc autem commendo tibi hunc adolescentem, Sigismundum Prettenholtz, natum in Marchia. Patri ejus auctoritatem prudentia & virtus tantam peperit, ut apud sapientem Principem Marchionem inter præcipuos consiliarios sit. Præcipue autem tuetur doctrinæ studia & fovet Ecclesias. Ipsius etiam Sigismundi natura doctrinarum capax est, & modesta. Auditurus est Sturmium & alios eruditos lectores apud vos, quibus ut eum commendes, te oro. Refert enim scire, qui sint hospites. Optat autem Pater, siceum vobis probari, ut aliquanto post adjungatis ei discipulos aliquos, quos erudiat, aut cum quibus in Galliam proficiatur. Si pater intelliget, vos erga filium officiosos fuisse, majore curâ & ipse ornare Ecclesiam & nostrum gregem tueri studebit. Quare vos oro, ut hunc adolescentem & complectamini, & ornetis. Mitto tibi exemplum enarrationis Epistolæ ad Romanos, quod legas, ut Judex, & judicium mihi tuum significabis. Bene vale. Die Festo Jacobi Apostoli, Anno 1556.

25 Julii

*Salutem vobis omnibus opto.*

Philippus Melanthon.

XXXIX.

S. Accepi binas tuas, mi suavissime Marpachi, & gratiam habeo pro officio. S. D. Petrum Martyrem ipsi vidimus & convenimus, quem video virum tentationi profecto gravi indulgisse: quando, qui secundo à vobis exul receptus, inque honestum locum constitutus, non ante præterdit, se legibus arctioribus idque contra conscientiam constringi, quam cum locum videret & conditionem apud Tigurinos oblatam. Dominus ergo benè vertat, & affectus impotentiores, qui solus potest, ipse moderetur, benedicatque ecclesiæ, his  
tam

tam fatalibus calamitatibus. Comitia gaudeo procedere, quia spero aliquos rerum progressus ad religionis propagationem, maximè quando Cæsar non satis pacata habet erga se Pontificis studia. Juravit ille, se aut moriturum aut Hispanos semel omnes Italia exturbaturum. Furit idem in sanctos horribiliter. Comburendos enim curavit Romæ undecim propter Christi professionem, & quinque demergendos in Tyberim. Lucæ sævit proscriptionibus & confiscationibus bonorum in eos, qui vel levi suspitione Luterismi tanguntur. Ut quartus Julius non tantum mundi principibus ad exemplum secundi, sed Deo ipsi bellum indixerit. Hæc sola nunc habui, mi observande Marpachi, quæ scriberem. Commendo autem simul fratrem præsentium latorem. Homo est non malus, quiq; duci possit, maximè à tam seriâ castigatione erroris potius & incogitantia, quam malitia. Bene vale cum D. Lud. Rabo & reliquis, quos cupio reverenter meis verbis salutes. Basil. 5. Augusti Anno 1556.

*Tuus totus*

Sulcerus.

XL.

*S. D. Carissime Frater.*

**M**eministi dulcissimam vocem: Circumvallât Angelus Domini timentes eum. Hic Angelus Filius ipse DEI æterni Patris, & te & tuam domesticam Ecclesiam proteget, & texit hæctenus. Sæpe aspiciens meas parvas filioas, & gravidam filiam, cogito, ut vagantibus in Judæa petulantissimis militibus, Syriacis, Ægyptiis, Arabicis, Parthicis, tamen DEUS texit Mariam, sororem ejus, & multas forma, sapientia, virtute præstantes, cum præsidia humana nulla haberent; ita & nunc Ecclesiæ reliquias in his nostris exiliis & miseris custodiri, cum quidem his turbulentis temporibus tueri nos leges politicæ non possint. Tuas literas avidè expecto & flagito. Post Baltici Gorgiæ ἀστέγειαν καὶ σοφιστικαίαν nunc senex Italus, Stancarus, nos tumultus excitat. Contendit, Christum tantum humanâ naturâ Mediatorem esse, καὶ ἔχει ἄλλους πρὸς κερφαλορίας. Hæc de ipso ad Electorem Marchicum scripsimus. Sed me ab his rixis brevi mors liberabit. Prius tamen colloqui tecum cupio. Et non despero colloquium. Nunc retineor novi belli Saxonici initio, quod adhuc est Μυομαχία. Sed metuo majores motus. Comes Mansfeldensis, Alberti filius, indixit bellum Episcopo Magdeburgensi, Bene vale & rescribe. Die 5. Octobris, Anno 1556.

H 2

*Inscriptio:*